

COMPENDIUM DOCTRINAE CHRISTIANAE

IUSSU

SANCTISSIMI DOMINI

CLEMENTIS VIII.

PONTIFICIS MAXIMI

AD INSTRUCTIONEM PUERORUM ET SIMPLICIUM

AB

S. ROBERTO BELLARMINO

E SOCIETATE JESU, S. R. E. CARDINALE

COMPOSITUM

Ex Italico idiomate in Latinum transtulit

MARTINUS SZYSZKOWSKI

Episcopus Cracoviensis



CRACOVIAE 2017

www.ultramontes.pl

"Fili, accedens ad servitum Dei, sta in iustitia, et timore:
et praepara animam tuam ad tentationem". (*Eccl. 2, 1*).

INDEX

	Pag.
Praefatio Episcopi Cracoviensis	3
Explicatio signi sanctae Crucis	4
Declaratio Credo	5
Declaratio Pater noster, et Ave Maria	8
De Praeceptis Dei	12
De Praeceptis Ecclesiae, et Consiliis	14
De Sacramentis	15
De Virtutibus Theologicis et Cardinalibus	17
De donis Spiritus Sancti	18
De operibus misericordiae	19
De peccatis	20
De quatuor Novissimis, et de Rosario	21



MARTINUS SZYSZKOWSKI,

Dei et Apostolicae Sedis Gratia,

EPISCOPUS CRACOVIENSIS,

DUX SEVERIENSIS.

Venerabilibus Parochis, totique Clero Dioecesis nostrae,

Salutem in Domino.

Neminem in Schola Christi adeo peregrinum, et de sua salute nihil cogitantem, reperiri existimamus, quin ad beatitudinem consequendam, et ad ipsa media vitae aeternae meritoria, fidem Theologicam homini necessariam esse, fateatur. Sine fide enim, impossibile est placere Deo; et qui non crediderit, eum perpetuis suppliciis damnatum iri, ipsa aeterna Veritas docet. Sed cum fides sit partim explicita; nimirum Articulorum eorum, (qui sunt de Deo trino et uno, et Divinitate, ac humanitate Christi) expressa notitia: partim implicita; qua scilicet veritates quas tenet Ecclesia, tanquam in communi aliquo principio creduntur: consequens erit Doctrinam Christianam, qua haec religionis rudimenta ad salutem necessaria traduntur, et explicantur, apprime utilem esse. Hanc igitur a Sede Apostolica approbatam, praesenti operi inserendam, Vobisque Fratres in Christo charissimi, commendandam duximus. Et insuper, quoniam non omnes aequae sunt ad instituendum hoc pacto rudiores populum animati, sive ob negotia alia, quibus non sine animarum detrimento implicantur, sive ob charitatis erga Deum et proximum, defectum; existimavimus Nos operaeprecium facturos: si Catecheses, et documenta quaedam salutaria, et praeterea modum tradendae cum fructu Doctrinae Christianae, hic praescriberemus, Vobisque afferremus. Proinde omnes Vos in Domino hortamur, mandamusque in virtute Sanctae obedientiae, ut ipsi hanc Doctrinam amplexi, caeteros quorum curam geritis, sedulo doceatis, et a Rectoribus Scholarum eadem pueros erudiri efficiatis; ita demum officio, vocationique Vestrae egregie responsuri, et religionis, cultusque Divini propagati, amplissima a Deo praemia recepturi. Valete in Domino.

COMPENDIUM

DOCTRINAE CHRISTIANAE

MAGISTER. *Esne tu Christianus?*

DISCIPULUS. Sum per Dei gratiam.

M. *Quis dicendus est Christianus?*

D. Qui profitetur fidem et legem Christi.

M. *In quo praecipue consistit fides Christi?*

D. In duobus principalioribus mysteriis, quae designantur signo S. Crucis: hoc est, in unitate ac Trinitate Dei, et Incarnatione ac morte Salvatoris nostri.

M. *Quid est unitas et Trinitas Dei?*

D. Est in Deo una sola Divinitas, seu essentia et natura Divina, quae tamen continetur tribus personis Divinis, quae vocantur, Pater, Filius, et Spiritus Sanctus.

M. *Quare sunt tres personae Divinae?*

D. Quia Pater non habet principium, nec procedit ab alia persona; Filius procedit a solo Patre; Spiritus Sanctus a Patre et Filio.

M. *Quare sunt unus solus Deus hae tres personae?*

D. Quia habent unam eandemque essentiam, unam eandemque potentiam, unam eandemque bonitatem.

M. *Quid est Incarnatio et mors Salvatoris nostri?*

D. Est hoc: Quia Filius Dei, qui est secunda sanctissimae Trinitatis persona, factus est homo, et in Cruce mortuus pro salute nostra.

M. *Quomodo haec duo mysteria signo Crucis denotantur?*

D. Nam signum sanctae Crucis fit, apponendo primum capiti manum dextram, cum illis verbis, *In nomine Patris*; postea apponendo manum pectori, et dicendo, *et Filii*; ad extremum, apponendo brachio sinistro et dextro, *et Spiritus Sancti; Amen*.

M. *Quomodo itaque hic demonstratur primum mysterium sanctissimae Trinitatis?*

D. Nam illud verbum, *In nomine*, significat unitatem, alia verba significant Trinitatem.

M. *Demonstres itaque et secundum mysterium?*

D. Figura Crucis repraesentat mortem Salvatoris; quia postquam factus esset homo, et ostendisset humano generi viam salutis, doctrina, exemplo, et miraculis; mortuus est in ligno Crucis.

DECLARATIO

Credo

MAGISTER. *Quae et qualis est regula credendi?*

DISCIPULUS. Est Symbolum Apostolorum, quod vulgari nomine dicitur Credo.

M. *Dicas Credo.*

D. 1. Credo in Deum Patrem omnipotentem Creatorem coeli et terrae.

2. Et in Iesum Christum Filium eius unicum Dominum nostrum.

3. Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine.

4. Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, et sepultus.

5. Descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis.

6. Ascendit ad coelos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.

7. Inde venturus est iudicare vivos et mortuos.

8. Credo in Spiritum Sanctum.

9. Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem.

10. Remissionem peccatorum.

11. Carnis resurrectionem.

12. Et vitam aeternam. Amen.

M. *Quis instituit Credo in Ecclesia?*

D. Duodecim Apostoli, propterea etiam duodecim sunt Articuli.

M. *Quid in se continent hi Articuli?*

D. Omnia ea, quae principaliter creduntur expresse de Deo, et de Ecclesia sponsa eius. Nam illi primi octo Articuli pertinent ad Deum; ultimi vero quatuor ad Ecclesiam.

M. *Declares primum Articulum.*

D. Ego firmiter credo in unum solum Deum, qui est Pater naturalis sui unigeniti Filii, et simul est Pater per gratiam omnium bonorum Christianorum, qui ideo vocantur filii Dei adoptivi; ad extremum est Pater per creationem omnium aliarum rerum. Et is Deus est omnipotens; nam potest facere omnia quae vult, qui creavit ex nihilo coelum et terram, et omnia quae continentur in ipsis, hoc est universum mundum.

M. *Declares secundum Articulum.*

D. Credo praeterea in Iesum Christum, qui est unicus Filius Dei Patris, nam est genitus a Patre ab aeterno, et est Deus aeternus, infinitus, omnipotens, Creator et Dominus noster, et omnium rerum, non secus atque Pater.

M. *Declares Tertium.*

D. Ego credo, Iesum Christum non solum esse verum Deum, sed etiam verum hominem. Assumpsit enim carnem humanam ex immaculata Virgine Maria, virtute Spiritus Sancti: et ita natus est in terra, ex matre sine Patre; quemadmodum in caelis natus est ab aeterno, ex Patre sine matre.

M. *Declares Quartum.*

D. Ego credo Iesum Christum, pro redemptione mundi, id est, hominum, passum esse sub Pontio Pilato Praefecto Iudaeorum, flagellatum, spinis coronatum, cruci affixum, et in ea mortuum, de qua depositus, sepultus fuit in sepulchro novo.

M. *Declares Quintum.*

D. Ego credo Iesum Christum, statim ac mortuus fuit, descendisse cum anima sua ad limbum Sanctorum Patrum, et tertia die, quae fuit Dominica, resurrexisse gloriosum triumphatorem.

M. Declares Sextum.

D. Ego credo Iesum Christum, postquam mansit adhuc post resurrectionem quadraginta diebus cum Apostolis, ut comprobaret multis apparitionibus resurrectionem suam, ascendisse in coelum, resedissequer super omnes choros Angelorum ad dexteram Patris, hoc est in gloria aequali cum Patre, tanquam patronus, et gubernator omnium creaturarum.

M. Declares Septimum.

D. Ego credo, quia is idem Dominus noster, in fine mundi descendet de caelo cum summa potestate et gloria, iudicaturus omnes homines, reddendo unicuique prout gessit quisque in corpore suo, sive bonum, sive malum.

M. Declares Octavum.

D. Credo in Spiritum Sanctum, qui est tertia persona sanctissimae Trinitatis, et procedit a Patre et Filio, estque in omnibus et per omnia aequalis Patri et Filio, hoc est Deus aeternus, infinitus, omnipotens, Creator et Dominus omnium rerum, quemadmodum Pater et Filius.

M. Declares Nonum.

D. Ego firmiter credo unam esse Ecclesiam, quae est congregatio omnium fidelium Christianorum, qui sunt baptizati, qui credunt et profitentur fidem Christi Salvatoris, et agnoscunt Vicarium Christi in terris, summum Pontificem Romanum.

M. Haec Ecclesia quare dicitur Sancta et Catholica?

D. Sancta, quia habet Caput sanctum, Christum Dominum, et multa membra sancta; facta, fidemque, legem, et Sacramenta sancta. Et dicitur Catholica, hoc est universalis.

M. Sed quid dicitur Communio Sanctorum?

D. Dicitur participatio orationum et bonorum operum, quae in Ecclesia fiunt; quemadmodum in corpore humano, ab uno membro sano, reliqua participant sanitatem.

M. *Declares Decimum?*

D. Credo in sancta Ecclesia, veram esse remissionem peccatorum, quae obtinetur per sanctissima Sacramenta, tanquam media certa: et quod in ipsa homines, ex filiis daemonis, fiant filii Dei, et haeredes Paradisi, id est regni caelestis.

M. *Declares Undecimum.*

D. Ego credo, quod in fine mundi omnes homines resurgent, assumentque eadem corpora, quae prius habebant; idque virtute omnipotentis Dei, cui nihil est factu impossibile.

M. *Declares Ultimum.*

D. Ego credo bonis Christianis paratam esse vitam aeternam, plenam omnis felicitatis, et liberam omni genere mali: quemadmodum e contrario, infidelibus et malis Christianis parata est mors aeterna, referta omnibus miseriis, cunctisque bonis destituta.

M. *Quid est Amen?*

D. Ita est in rei veritate.

DECLARATIO

Pater noster, et Ave Maria

MAGISTER. *Postquam ostendisti, quae sunt credenda; quaero, scisne ea, quae debemus sperare, et a quo?*

Scisne tu Pater noster?

DISCIPULUS. Scio optime, nam cum primis illud didici, et quolibet tempore matutino ac vespertino recito, cum Ave Maria et Credo.

M. *Dicas itaque Pater noster.*

D. Pater noster qui es in coelis.

1. Sanctificetur nomen tuum.

2. Adveniat regnum tuum.

3. Fiat voluntas tua, sicut in coelo et in terra.

4. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

5. Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.

6. Et ne nos inducas in tentationem.

7. Sed libera nos a malo. Amen.

M. *Quis composuit hanc Orationem?*

D. Christus Dominus noster; et ideo est excellentior caeteris omnibus Orationibus.

M. *Quid continet in summa haec Oratio?*

D. Omnia ea, quae petere ac sperare potest homo a Deo. Septem autem sunt orationis Dominicae petitiones. Primis quatuor petimus, ut nobis conferat bonum; et tribus ultimis, ut nos liberet a malo.

Et quantum attinet bonum:

Primo, petimus gloriam Dei.

Secundo, summum nostrum bonum.

Tertio, gratiam acquirendi hoc bonum.

Quarto, medium acquirendi et consequendi gratiam Dei.

Quod vero attinet malum:

Primo petimus, ut nos liberet a malis praeteritis.

Secundo, a malis futuris.

Tertio, a malis praesentibus, et consequenter ab omni malo.

M. Declares illa verba, quae antecedunt petitiones, nimirum, Pater noster qui es in coelis.

D. Hoc est unum quasi prooemium, in quo ratio redditur, quod audeamus alloqui tam magnum Dominum, et quia speramus nos ab eo exauditos iri. Dicitur itaque Deus Pater noster, ratione creationis et adoptionis: et ideo tanquam filii recurrimus ad illum. Et adiungitur: Qui es in coelis; tanquam Dominus universi. Et propterea scimus, quod potest nos exaudire si vult; quemadmodum speramus illum velle, quandoquidem est Pater.

M. Declares Primam Petitionem.

D. In prima petitione rogamus, ut Deus cognoscatur a toto mundo, et ut sanctum nomen eius, pro eo ac par est honoretur, et glorificetur ab omnibus.

M. Declares Secundam.

D. Petimus in secunda, ut cito veniat Regnum, quod nobis est promissum; hoc est, ut finita pugna quae nobis est cum daemone, mundo, et carne, perveniamus ad aeternam beatitudinem, in qua regnabimus cum Deo securi.

M. Declares Tertiam.

D. Petimus in tertia gratiam Dei, ut ea adiuti obediamus perfecte suis sanctis mandatis; quemadmodum semper obediunt Angeli in coelo. Nam gradus per quem fit ascensus in coelum, est obedire mandatis Dei.

M. Declares Quartam.

D. Petimus in quarta, panem quotidianum, tam spiritualem, hoc est, verbum Dei et Sacramenta, quam corporalem, hoc est, victum et amictum. Nam verbum Dei sive praedicatum a Concionatoribus, sive a nobis lectum in libris spiritualibus, et sanctissima Sacramenta, maxime vero Confessio, et sanctissimae Eucharistiae sumptio, sunt media efficacissima ex se (praesertim si aliquis a nobis defectus non procedat) ad acquirendam et consequendam gratiam divinam, de qua diximus in praecedente petitione. Victus vero et amictus, necessarius est conservationi huius vitae, propter inserviendum Deo.

M. Declares Quintam.

D. Petimus in quinta, ut Deus nos liberet a malis praeteritis, hoc est a peccatis iam commissis, remittendo nobis et culpam et poenam, quam ob peccata incurrimus. Et adiungitur: Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris; hoc est remittimus omnes offensas nostris inimicis. Minime enim consentaneum est, ut Deus dimittat nobis peccata, quibus graviter eum offendimus, si nos nolumus condonare iniurias nobis factas, quae alioquin sunt offensae parvi momenti.

M. Declares Sextam.

D. Petimus in sexta, ut Deus nos liberet a tentationibus, (quae sunt mala futura) aut non permittendo nos tentari, aut tribuendo gratiam ut non succumbamus tentationibus.

M. Declares Septimam.

D. Petimus in septima, ut Deus nos liberet a malis praesentibus, hoc est, ab omni afflictione et miseria: praeterea ab omni vana prosperitate et exaltatione temporali, praesertim si ipse cognoscit id nociturum saluti animae.

M. Dicas deinceps Ave Maria.

D. Ave Maria gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui IESUS. Sancta Maria mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc et in hora mortis nostrae. Amen.

M. In quem finem dicis Ave Maria post Pater noster?

D. Ut per intercessionem Beatissimae Virginis, facilius impetrem ea, quae peto a Deo. Nam ipsa est Advocata peccatorum, et Mater misericordiae, et una cum Deo residet in caelo super omnes choros Angelorum, estque gratissima Deo.

M. Nonne etiam recurris pro auxilio ad alios Sanctos?

D. Recurro ad omnes Sanctos, praecipue vero ad eum, cuius nomen gero, et ad meum Angelum custodem.

De Praeceptis Dei

Veniamus etiam ad legem Dei, et ad ea quae spectant ad amorem Dei et proximi.

MAGISTER. *Dicas ergo Decem Praecepta.*

DISCIPULUS. I. Ego sum Dominus Deus tuus. Non habebis deos alienos coram me.

II. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.

III. Memento ut diem Sabbati sanctifices.

IV. Honora patrem tuum et matrem tuam.

V. Non occides.

VI. Non moechaberis.

VII. Non furtum facies.

VIII. Non dices falsum testimonium.

IX. Non concupisces uxorem alterius.

X. Non concupisces res proximi.

M. *Quis tradidit haec Decem Praecepta?*

D. Ipsemet Deus in veteri Testamento, quae postea Christus Dominus noster in novo confirmavit.

M. *Quid continent summatim haec Praecepta?*

D. Omnia illa, quae facienda sunt, ut amemus Deum et proximum. Nam prima tria praecepta docent, quemadmodum debeamus nos gerere erga Deum corde, ore, et opere. Alia vero septem, docent bene facere proximo, et nemini nocere, sive honori, sive rebus eius, nec opere, nec verbis, nec animo. Et ita finis omnium praeceptorum, est mandatum charitatis, quo praecipitur ut amemus Deum super omnia, et proximos nostros sicut nos ipsos.

M. *Declares Primum Praeceptum.*

D. In principio ostendit Deus, se esse nostrum verum et supremum patronum, propterea sumus obligati obedire illi cum omni diligentia. Deinde mandat, ne ullos alios deos agnoscamus. Qua in re, infideles peccant, qui adorant creaturas loco Creatoris: similiter incantatores, et omnes magicis artibus dediti, qui daemones loco Dei colunt.

M. Declares Secundum Praeceptum.

D. Secundum praeceptum prohibet blasphemias, quae sunt gravissima peccata, iuramenta falsa et non necessaria, votorum neglectam executionem, et omne illud, quod verbo committitur contra honorem Dei.

M. Declares Tertium.

D. Tertium praecipit observationem festorum, quae consistit in cessatione ab operibus servilibus, ut habeamus tempus considerandi beneficia Divina, visitandi Ecclesias, recitandi Orationes, legendi libros spirituales, audiendi divina officia et conciones, et faciendi alia similia opera spiritualia et sancta.

M. Declares Quartum.

P. Quartum mandatum est, ut honore prosequamur patrem et matrem, non modo reverentia verborum, vel depositione pilei, sed etiam ferendo illis auxilium in illorum necessitatibus. Quod vero dicitur de patre et matre, hoc etiam praestari debet erga alios proximos, licet non tantum obligati simus aliis, quantum patri et matri, qui nos in lucem ediderunt, et cum multo labore educaverunt.

M. Declares Quintum.

D. In Quinto praecipitur, neminem a nobis iniuste occidendum, nec cuiquam male faciendum esse. Dico autem iniuste. Nam iudices qui iuste condemnant malefactores ad mortem, et ministri iustitiae, qui condemnatis mortem inferunt, non peccant, si vulnerant, vel occidunt; quemadmodum nec milites in bello iusto.

M. Declares Sextum.

D. Prohibet adulterium, hoc est peccatum cum uxore alterius, similiter fornicationem, aut aliud peccatum carnale.

M. Declares Septimum.

D. Septimum praecipit ne invito domino subtrahamus res alterius occulte, quod furtum vocatur; nec palam, quod vocatur rapina; nec defraudemus alios in venditione, emptione, et similibus contractibus, et ad extremum nullum inferamus damnum proximo, rebusque illius detrimentum.

M. Declares Octavum.

D. In Octavo prohibetur falsum testimonium, murmuratio, obtrectatio, adulatio, mendacium, et omne aliud damnum, quod proximo lingua inferri potest.

M. Declares duo ultima.

D. Praecipit Deus in ultimis duobus praeceptis, ut nemo concupiscat uxorem, aut rem alterius. Nam ille qui est scrutator cordium, vult ut sint sancta et munda, non modo exterius, sed etiam interius omnia, ut simus integre ac vere iusti.

De Praeceptis Ecclesiae, et Consiliis

MAGISTER. *Adiungas ad Praecepta Dei, illa pauca quae adiungit sancta Ecclesia.*

DISCIPULUS. Praecepta Ecclesiae sunt quinque.

1. Audire Missam die Dominico, et aliis diebus festis statutis ab Ecclesia.
2. Quadragesima, Quatuor anni temporibus, ac Vigiliis, secundum morem Ecclesiae, et feria sexta, iuxta Provinciae consuetudinem, ieiunare: Sabbato autem a carnibus abstinere.
3. Peccata Sacerdoti approbato confiteri, et sanctissimam Eucharistiam, vel saltem circa festum Paschae sumere.
4. Nuptias prohibitis temporibus non celebrare, hoc est a Prima Dominica Adventus, usque ad Epiphaniam, et a prima die Quadragesimae, usque ad Octavam Paschae.
5. Decimas solvere.

M. *Ultra haec Praecepta ad quae obligamur omnes, suntne alia consilia perfectionis?*

D. Sunt tria Consilia, data a nostro Salvatore IESU, illis qui desiderant pervenire ad perfectionem.

M. *Quae sunt ista Consilia.*

D. Paupertas voluntaria, Castitas perpetua, Obedientia in omni re licita et honesta.

De Sacramentis

MAGISTER. *Iam tractavimus de omnibus, quae credere, sperare, et operari debemus; restat ut tractemus de sanctis Sacramentis, per quae (tanquam media) acquirimus Dei gratiam. Dicas itaque quot sunt Sacramenta?*

DISCIPULUS. Sunt septem.

1. Baptismus.

2. Confirmatio.

3. Eucharistia.

4. Poenitentia.

5. Extrema unctio.

6. Ordo.

7. Matrimonium.

M. *Quis haec Sacramenta instituit?*

D. Iesus Christus Dominus noster.

M. *Quem effectum praestat Baptismus?*

D. Facit, ut homo fiat filius Dei, et haeres Paradisi, delet omnia peccata, et reficit animam gratia et donis spiritualibus.

M. *Quis effectus est Confirmationis?*

D. Fortes nos facit, ut non timeamus profiteri fidem Christi Salvatoris nostri, facitque nos milites veros Salvatoris nostri.

M. *Quem effectum affert Eucharistia?*

D. Nutrit charitatem, quae est vita animae, augetque in dies magis; et propterea datur sub specie panis, licet iam non sit panis, sed verum corpus Salvatoris: quemadmodum, et illud quod est in calice, non est vinum, licet appareat vinum, sed est verus sanguis eiusdem Salvatoris sub specie vini.

M. *Quem effectum producit Poenitentia?*

D. Remittit peccata post Baptismum commissa, et reconciliat Deo eum, qui per peccatum factus fuit inimicus.

M. *Quae requiruntur ad recipiendum hoc Sacramentum?*

D. Opus est primo concipere dolorem de peccatis, cum proposito non committendi ea amplius. Deinde opus est confiteri omnia Sacerdoti approbato a Superioribus, et ultimo opus est adimplere satisfactionem, quae a Sacerdote iniuncta fuerit.

M. *Quem effectum facit Extrema unctio?*

D. Extinguit reliquias peccati, laetificat ac confortat animam, ad pugnandum contra daemonem, in illo ultimo vitae puncto: praeterea iuvat ad recipiendam sanitatem corporis, si illa est utilis saluti animae.

M. *Quem effectum facit Sacramentum Ordinis?*

D. Tribuit virtutem et gratiam Sacerdotibus, et aliis ministris Ecclesiae, ut possint bene ac rite fungi officio suo.

M. *Quem effectum facit Sacramentum Matrimonii?*

D. Dat virtutem et gratiam illis, qui legitime coniunguntur in Matrimonio, ut in Matrimonio vivant in pace, charitate, et procreent, atque educent prolem in timore sancto Dei, indeque laetitiam capiant, et in hac, et in futura vita.

De Virtutibus Theologicis et Cardinalibus

MAGISTER. *Absolvimus iam quatuor partes principales Doctrinae Christianae, hoc est Credo, Orationem Dominicam, Praecepta Dei, et Sacramenta: Nunc dicamus de Virtutibus et vitiis, et de nonnullis aliis rebus, quae plurimum invitant ad recte, et iuxta voluntatem Dei vitam instituendam. Dicis itaque quot sunt Virtutes principales?*

DISCIPULUS. Sunt septem; tres Theologicae, et quatuor Cardinales.

M. *Quae sunt Theologicae?*

D. Fides, Spes, Charitas.

M. *Quare vocantur Theologicae?*

D. Nam verbum illud Theologicae, significat rem, quae respicit, vel pertinet ad Deum.

M. *Fides itaque quomodo pertinet ad Deum?*

D. Nam efficit ut credamus ea omnia, quae Deus revelavit sanctae Ecclesiae.

M. *Spes quare pertinet ad Deum?*

D. Nam efficit, ut nos ponamus totam fiduciam in Deo, et ab ipso speremus vitam aeternam, mediante gratia ipsiusmet Dei, et propter nostra merita, quae etiam procedunt ex gratia eius.

M. *Charitas quare pertinet ad Deum?*

D. Nam efficit, ut amemus Deum supra omnia, et proximum tanquam nos ipsos, propter amorem Dei.

M. *Quae sunt virtutes Cardinales?*

D. Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudo.

M. *Quare dicuntur Cardinales?*

D. Nam sunt principales, et tanquam fontes bonorum operum.

M. *Declares officium harum virtutum.*

D. Prudentia facit, ut caute et considerate versemur in omnibus rebus, ne vel ipsi decipiamur, vel alios decipiamus. Iustitia efficit, ut quod suum est, unicuique reddamus. Temperantia facit, ut iniiciamus fraenum desiderii inordinatis. Fortitudo facit, ut nulla timeamus pericula, nec mortem ipsam propter Deum.

De donis Spiritus Sancti

MAGISTER. Quot sunt dona Spiritus Sancti?

DISCIPULUS. Sunt septem.

1. Sapientia.
2. Intellectus.
3. Consilium.
4. Fortitudo.
5. Scientia.
6. Pietas.
7. Timor Domini.

M. *Quorsum spectant haec dona?*

D. Auxiliantur virtutibus, et iuvant ut perfecti efficiamur in via Dei. Nam ob Timorem, abstinemus a peccatis: per Pietatem, sumus devoti et obedientes Deo: per Scientiam, instruimur ad intelligendam voluntatem Divinam: per Fortitudinem, adiuvamur ut eam exequamur: per Consilium, advertimus technas et imposturas daemonis: per Intellectum, elevamur ad penitus intelligenda mysteria fidei: per Sapientiam, efficiamur perfecti, ordinando omnem nostram vitam et nostras operationes ad gloriam Dei. Nam prudens cognoscit ultimum finem, et ad illum dirigit omnia.

De operibus misericordiae

MAGISTER. *Quot sunt opera misericordiae, de quibus examinabimur sigillatim in die Iudicii?*

DISCIPULUS. Sunt septem.

1. Dare cibum esurientibus.
2. Dare potum sitientibus.
3. Vestire nudos.
4. Suscipere peregrinos.
5. Visitare infirmos.
6. Consolari incarceratos.
7. Sepelire mortuos.

M. *Haec sunt opera misericordiae corporalia. Suntne alia spiritualia?*

D. Sunt alia septem; hoc est.

1. Consilium dare dubitantibus.
2. Docere ignorantes.
3. Corrigere peccantes.
4. Consolari afflictos.
5. Condonare offensas.
6. Ferre patienter personas molestas.
7. Orare pro vivis et mortuis.

De peccatis

MAGISTER. Quot sunt genera peccati?

DISCIPULUS. Duo. Originale et Actuale. Hoc deinde dividitur in mortale et veniale.

M. *Quod est peccatum Originale?*

D. Est illud cum quo omnes nascimur, quod contraximus tanquam haereditarium a primo parente nostro Adamo.

M. *Hoc peccatum quomodo deletur?*

D. Per Baptismi Sacramentum; unde qui lavacro fontis sacri non ablutus moritur, is descendit ad limbum, et privatur perpetuo gloria Paradisi.

M. *Quod est peccatum mortale?*

D. Est illud, quod committitur contra charitatem Dei aut proximi, et dicitur mortale; nam privat animam sua vita spirituali, quae est gratia Dei.

M. *Hoc peccatum quomodo dimittitur?*

D. Expiatur peccatum mortale, aut per Baptismi Sacramentum in homine iam adulto; aut per Sacramentum Poenitentiae, ut supra dictum. Qui autem moritur peccato mortali coinquinatus, destinatur ad poenas inferni.

M. *Quod est peccatum veniale?*

D. Est illud, quod non est contra charitatem, et non privat animam gratia Dei, neque hominem poenis inferni facit obnoxium; nihilominus tamen displicet Deo, non est enim conforme voluntati eius, et minuit fervorem charitatis: propterea necesse est, ut deleatur vel in hoc mundo, vel in Purgatorio in altera vita.

M. *Quot sunt vitia capitalia, et fontes totius peccati?*

D. Sunt septem, et cuilibet opponitur virtus contraria.

1. Superbia; cui opponitur Humilitas.

2. Avaritia; cui opponitur Liberalitas.

3. Luxuria; cui opponitur Castitas.

4. Ira; cui opponitur Patientia.

5. Gula; cui opponitur Abstinencia.
6. Invidia; cui opponitur Amor fraternus.
7. Acedia; cui opponitur Diligentia.

M. *Quot sunt peccata contra Spiritum Sanctum?*

D. Sunt sex.

1. Desperatio de salute aeterna.
2. Praesumptio de salute sine meritis.
3. Impugnatio veritatis agnitae.
4. Invidia gratiae divinae alteri datae.
5. Obstinatio in peccatis.
6. Impenitentia usque ad finem vitae.

M. *Quot sunt peccata quae vindictam exposcunt a Deo?*

D. Sunt quatuor.

1. Homicidium voluntarium.
2. Peccatum carnale contra naturam.
3. Oppressio pauperum.
4. Defraudatio mercedis operariorum.

De quatuor Novissimis, et de Rosario

MAGISTER. *Quot sunt res ultimae hominis, quae in Scriptura vocantur Novissimae, quae si considerentur bene, efficiunt ut abstineamus a Peccatis?*

DISCIPULUS. Quatuor.

1. Mors.
2. Iudicium.
3. Infernus.
4. Paradisus.

M. *Sed quod exercitium habes ut retineas devotionem?*

D. Dico Rosarium Beatissimae Virginis, meditando quindecim mysteria Rosarii, in quibus continetur vita Salvatoris nostri IESU Christi.

M. *Qualia sunt quindecim mysteria Rosarii?*

D. Sunt quinque gaudiosa.

1. Annunciatio Angeli.
2. Visitatio Elizabethae.
3. Nativitas Salvatoris nostri.
4. Praesentatio in Templo.
5. Disputatio Iesu cum Doctoribus.

Quinque alia dolorosa.


1. Oratio in horto.
2. Flagellatio ad columnam.
3. Coronatio spinis.
4. Crucis baiulatio.
5. Crucifixio, et mors Salvatoris.



Quinque ultima gloriosa.

1. Resurrectio Salvatoris.
2. Ascensio eiusdem.
3. Adventus Spiritus Sancti.
4. Assumptio Beatissimae Virginis Mariae.
5. Coronatio et exaltatio eiusdem super omnes choros Angelorum.

Compendium Doctrinae Christianae. Iussu S. D. N. Clementis VIII. ad instructionem puerorum, et simplicium, ab Illustrissimo Cardinale Belarminio compositum. Nunc vero ex Italico idioma in Latinum, Wladislao Principi Serenissimi III. Poloniae et Sveciae Regis filio, ac in usum Dioecesis Luceoriensis translatum. Accessit hac editione secunda *Modus Christianam doctrinam tradendi*; omnibus qui curam gerunt animarum, cum primis necessarius. Cracoviae, In Officina Andreae Petricovii, Anno Domini, 1606, pag. 1-44.

Compendium Doctrinae Christianae. Cui accesserunt *Catecheses*, et *Modus Christianam Doctrinam tradendi.* Omnibus qui curam gerunt animarum, cum primis necessarius. [Appendix in:] *Reformationes Generales ad Clerum et populum Dioecesis Cracoviensis pertinentes.* Ab Illustrissimo et Reverendissimo Domino D. Martino Szyszkowski Dei et Apostolicae Sedis Gratia Episcopo Cracoviensis, Duce Severiensis, in Synodo Dioecesana sancitae et promulgatae. Anno M.DC.XXI. die decima Februarii. Cracoviae. In Officina Andreae Petricovii Typographi S. R. M., pag. 1-13. (1)





Notae:

- (1) Cf. 1) S. Robertus Cardinalis Bellarminus SI, Doctor Ecclesiae, a) [Katechizm mniejszy czyli Nauka Chrześcijańska krótko zebrana.](#) b) [Catechismus, seu: Explicatio doctrinae christianae \(Wykład Nauki Chrześcijańskiej\).](#) c) [La Dottrina Cristiana composta per ordine della santa memoria di Papa Clemente VIII](#) dal ven. Cardinale Roberto Bellarmino. d) [De prima parte portae domus Dei, quae est fides \(O pierwszej części bramy Domu Bożego tj. o wierze\).](#)
- 2) Papież Pius XI, [List apostolski mianujący św. Roberta Bellarmina Doktorem Kościoła Powszechnego.](#)
- 3) S. Pius Papa V, [Catechismus Romanus ex decreto Concilii Tridentini \(Katechizm rzymski według uchwały świętego Soboru Trydenckiego\).](#)
- 4) S. Petrus Canisius SI, Doctor Ecclesiae, a) [Catechismus maior seu Summa doctrinae christianae.](#) b) [Catechismi Latini et Germanici.](#)
- 5) S. Franciscus Xaverius, [Uberrima Symboli declaratio.](#)
- 6) Petrus Cardinalis Gasparri, [Catechismus catholicus \(Katechizm katolicki\).](#)
- 7) P. Ferdinandus Cavallera SI, [Thesaurus doctrinae catholicae ex documentis Magisterii ecclesiastici.](#)
- 8) Sac. Petrus Ludovicus Danes, [Institutiones Doctrinae Christianae, sive Catechismus ad usum seminariorum.](#)
- 9) P. Christianus Pesch SI, [Compendium Theologiae dogmaticae.](#)
- 10) Sac. Antonius Martinet, [Institutiones Theologicae ad usum seminariorum.](#)
- 11) Sac. Constantinus Joannes Vidmar, [Compendium repetitorium Theologiae dogmaticae tum generalis cum specialis.](#) Editio quarta.
- 12) P. D. Mézard OP, [Medulla S. Thomae Aquinatis per omnes anni liturgici dies distributa seu meditationes ex operibus S. Thomae depromptae.](#)
- 13) P. Parthenius Minges OFM, a) [Compendium theologiae dogmaticae generalis.](#) b) [Compendium theologiae dogmaticae specialis.](#) c) [Ecclesia est infallibilis.](#) d) [De religione judaica postchristiana.](#) e) [Falsa systemata de relatione inter fidem et rationem. Modernismus.](#)
- 14) P. Georgius Patiss SI, [Materiae meditationum et concionum ex Evangeliiis et Epistolis Dominicanarum.](#)
- 15) S. Bonaventura, a) [Meditationes Vitae Christi.](#) b) [Declaratio terminorum theologorum.](#) c) [Breviloquium.](#)

16) Sac. Bernardus Jungmann, *Institutiones Theologiae dogmaticae specialis*. a) [Tractatus de Gratia](#). b) [Tractatus de Verbo incarnato](#).

17) Fr. Josephus Calas Sanctus Card. Vives OFM Cap., a) [Summula Summae Theologiae Angelici Doctoris S. Thomae Aquinatis](#). b) [Manuale devotorum Beatae Mariae Virginis](#).

18) P. Armandus Plessis SMM, [Manuale Mariologiae dogmaticae](#).

19) Ernestus Müller, Episcopus Linciensis, [Theologia moralis](#).

20) P. J. Petitdidier SI, [Exercitia spiritualia juxta normam sancti Ignatii Loyole](#) ([Ćwiczenia duchowne wedlug normy św. Ignacego Loyoli](#)).

(Notae ab ed. *Ultra montes*).



([HTM](#))